



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

Sermo III. Aedificium Operum Meritoriorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

Conversionis in DEUM formulâ exprimat, multa tamen continet, ad quæ perficienda hominis debet desudare industria, ut muneri suo satisfaciatur. Nam præter functionem fidei, qua firmiter credere oportet omnia à DEO revelata, & ab Ecclesiâ proposita, requiruntur ad obtinendam Gratiâ, operationes timoris, spei, pœnitentiæ & tandem Caritatis, quas homo divino adjutus præsidio exerceat.

JAM verò Virtutibus illis in anima ritè dispositis, divinaque Gratiâ junctis, ac belle exornatis, exurgit in illa, præter Ædificium Morale, seu Philosophicum, alterum virtutum Christianarum divinitus infusarum Theologicum, seu Divinum, in cujus cacumine legi potest inscriptio:

DOMUS SAPIENTIÆ ÆTERNA.

Quæ, ut in vobis erigatur, & in æternum maneat præter ædificationem vestram, quæ consistit in piâ cooperatione, requiritur maximè auxilium Patris æterni benedictio Filii increati, & afflatus Spiritus-sancti, qui vos Sapientiæ candidatos, quod enixè precor, ament, foveant, & iterum iterumque benedicant in secula seculorum. AMEN.



S E R M O III.

ÆDIFICIUM OPERUM MERITORIORUM

ARTICVLVS I.

A quo, & Quomodo extruatur



ERRIUM Ædificium, circa quod versari debet Architectus Christianus Tropologus, nuncupamus Operum Meritoriorum. Postquam enim in homine constituta est

Do.

Domus spiritualis Virtutum Christianarum, censetur virtutis perfectæ studiosus esse idoneus, & tam opulentus, ut ipse suis impensis, additis tamen ex infinito meritorum Christi ærario subsidiis, possit amplissimum sibi extruere Palatium in quod dissolutâ terrena, in quâ moramur, habitatione, immigret æternum mansurus. Clarius. Homo justus & in gratiâ DEI constitutus, operibus studiosis, & ex gratiâ DEI provenientes, vitam meretur æternam, id est metitis sibi extruit in omnem æternitatem duraturum Ædificium. Nam DEUS reddet unicuique secundum opera ejus, ad Romanos secundo. Et, si cuius opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet, primæ ad Corinthios tertio. Labor enim Operariorum, & Architectorum spiritualium, non est inanis in Domino. Hac metaphorâ ab Architectura desumpta, humanarum & piarum operationum meritum exprimit Paulus Apostolus, & tanquam Sapiens Architectus graphice describit hoc operum meritoriorum Ædificium.

ARTICULUS II.

ÆDIFICIUM MERITORUM

Est Domus celestis.

IN altera ad Corinthios V. Scimus, inquit Apostolus, quoniam, si terrestris Domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex DEO habemus, Domum non manufactam, æternam in celis. Nam & ingemiscimus, habitationē nostram, qua in celis est, superindui cupientes. Quibus verbis consolatur fideles, & asserit, Corpus hominis mortalis esse Domum luteam, ac terrenorum domicilium, ac
proin

proinde haud magnopere curandum, si, dum sanctè pieque vixit, vel jubeatur migrare; vel etiam, ut quando contingit, ejiciatur tanquam ex conductâ domo Spiritus, qui hætenus illam inhabitavit quamvis domus tota dissolvatur & concidat, non turbetur, sciens terrena illa fabricâ subsidente ac corrupta, aliud sibi superesse domicilium longè elegantius & commodius. Quod-nam illud? duplex est sanctorum Patrum, atque interpretum sententia, utraq; mirifice convenit nostro instituto. Conveniunt imprimis omnes. Corpus mortale esse Domum habitationis, in qua modo habitat Anima fidelis, ut cujuslibet alterius, quam diu in hac vîta consistit: Græcè est *Οικτῆριον*, habitationem: Domum caducam, momentaneam, dissolubilem. At, quæ nunc est illa Ædificatio ex Deo, id est, Ædificium paratum a DĒO, quænam ille Domus, non manufacta, id est, non opere naturæ, nec hominis naturaliter ædificantis. Hæc opinionum intervenit diversitas

DOMUS SUPERNA
Corpus gloriosum.

QUIDAM per Domum non manufactam, Græcè *Οικτῆριον*, significari volunt Corpus incorruptibile mortalitæ donatum, gloriosum. Ita S. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, S. Ambrosius, & alii, quæ non manufactû docent, quoniam incorruptibilitas corporum gloriosorum pvenit solùm ex operatione divina, qua Deus reformavit corpus humilitatis nostræ, ad Philippenses tertio, Et sanè, aptè corpori mortali, tanquam tabernaculo, opponitur corpus immortale nunquam transferendum, dissolvendum, aut complicandum: ideoque rectè dicitur *Domus æterna in cælis*: cum illa altera sit terre

stris:

(a)

stris nempe, ut est apud Iobum, : cap. iv. terrenum habens fundamentum, quod facile subsidit, & quo labefacte totum Ædificium corruere necesse sit: quod experiuntur quotidie mortales.

DOMVS ÆTERNA!

Gloria cælestis.

MULTI auctoritate graves & primæ notæ Auctores existimant (a) Domum non manufactam designare vitam beatam, gloriam cælestem, seu beatitudinem. Ut sensus sit: si terrestris domus habitationis vestræ, id est, corpus dissolvatur per mortem habetis statim, non in spe tantum, quod secundum superiorem interpretationem dicendum esset, sed in re etiam meliorem domum, eamque non manufactam, ut est corporis mortalis, sed divina beneficentia ac liberalitate constitutam: nimirum Gloriam cælestem: immò DEUM ipsum, qui est hominis beatitudo. Ita sanè Gloriam & DEUM concipiebat Rex David, cum oraret: *Esto mihi in DEUM protectorem & in Domum refugii.* Psalmo xxx, 3. Idcirco eandem Domum vocat *æternam*, quia DEUS est æternus & beatitudo æterna, & quidem *in cælis*, ubi statim in hanc Domum justus ingredietur, mansurus in aliqua mansionum, de quibus Christus Joannis xiv. *In domo Patris mei mansiones multe sunt.* Quò etiam spectat, quòd, cum Dominus Beatitudinem cælestem nomine Gaudii expressisset, eo verbo est usus, quod non nisi ad Ædificium commodè referri potest: *Intra*, inquit, *in Gaudium Domini tui*: id est, ingredi tibi paratam Domum, Matthæi xv. id est, ejusdem gloriæ, ejusdem lætitiæ sis particeps. Sic dicuntur, qui Beatitudinem adipiscuntur, intrare in abyssum divinitatis, ut loquuntur Mystici, quoniam per visionem & amorem in DEUM ingredi-

un-

(a) S. Thom. in illam Epist. lect. 1. Anselmus, Lyranus,

untur. Profectò, qui DEUM non videt foris stat, imò, procul ab illo distat, quia DEUS ad illum se habet, ut longè absens. At, qui illum clarè videt, præsens illi est, neque hæret quasi foris, vel in vestibulo, sed ingressus præsens cum illo agit. Amor quoque facit, ut intra Dilectum amans commoretur, cum unicus ipse sit ei locus, Domus, requies.

DOMUS INDISSOLUBILIS

Corpus gloriosum, & Beatitudo.

UTRUMQUE nectimus, quia & sententia Apostoli patitur, & Interpretum auctoritas. Ex Græcis, Methodius, habitationem manu factam Corpus mortale appellari dicit, quia opera atque industria humanâ erigitur & conservatur: non manufactam, tum corpus immortale, tum vitam beatam in cælis, nulla amplius manus opera, nullo hominum ædificantium subsidio indigentem. (a) Sic quoque Photius apud Oecumenium diligenter notat antithesim inter utramque Domum à Paulo indicatam. Nam quæ jam inhabitatur à mortaliibus in terra, vocatur terrestris: altera verò, cælestis quia in cælo, tanquam amplissima regione constituta. Illa dicitur facile dissolvi, ut momentanea agnoscatur ista manere æternùm. Illa manu, id est corporeis viribus erecta, & aliquamdiu conservata: Ista non humanis viribus, neque corporis sed animæ industria, meritoriiis videlicet actibus, qui in anima sunt, aut ab illa dimanant, divina virtute semper principalem in hac architectone obtinente, extracta. Et sanè, non solum corpus immortalitate denatum, sed etiam quicquid naturam vim, & efficientiam superat, ut est Beatitudo, seu Gloria cælestis, tanquam Domum inhabitabunt electi, &c.

(a) Οὐκ ἔστιν ἀρχιγονότος, Domus non manufacta:

Et dicitur Ædificium non manufactum. Et quæ deinceps subjungit Apostolus de Vita in Cælis beata optimè intelliguntur. Est autem D. Chrysoctomi illa utilis observatio, S. Paulum miro artificio usum vocabulis, quibus ostenderet quantum futura præsentibus anteferenda sint: nam terrestri habitationi opponit cælestem; tabernaculo Domum non manufactam in cælis.

His adjuuge, cum Cælum optime tanquam Civitas concipiatur, Ad Hebræos XIII. *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*: In eo quotquot sunt Cælites tot licet numerare Domos, operibus meritoriorum fabricatas: nempe, vel Gloriam & Beatitudinem, tam quoad Angelos, quam homines; vel Corpus gloriosum & vitam Beatam quoad homines; Neque Sapientibus Seculi planè incognitæ fuere Domus illæ cælestes. Certè, Clemens Alexandrinus lib. IV. Stromatum postquam de iis differvisset, secundum Apostoli sensum, & dixisset: Justos, tanquam hospites & peregrinos animum ab luteis hisce domibus, quas inhabitant, & rebus omnibus, quæ sub sensum cadunt, abducere, mox profert Pindari sententiam, qui a jebat, impiorum infra cælum crebris cruciatibus divexari, & malorum veluti mole premi: piorum verò in cælo suam habitationem obtinere. Quid hoc est aliud, quam cælestem Domum incolere?

ARTICULUS III.

ÆDIFICIUM MERITORUM

Quomodo construatur à DEO? & Quomodo ab hominibus iustis.

CORPORE mortali, tanquam Domo terrestri, dissoluta, seu, ut etiam vox (*) Græca sonat, destructa,
 Prima pars: N habe-

habemus inquit Apostolus, *Aedificationem ex DEO*, hoc est diuina beneficentia ac liberalitate, sine qua merces operibus meritorijs non redditur: immò & *Iustitia*; siquidem hæc *DEVM* ex pollicitatione obstringit; *Domum manufactam, eternam in cælis*, quæ est *Ædificium meritorum*: de quo ita differit Tertullianus Apostoli sensum explanans, libello de resurrectione carnis cap. xli. *hoc quod dissoluetur caro nostra per passionem, domicilium conquirenturi sumus in cælis. Meminerat Euangelica definitionis: Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quorum illorum est regnum cælorum: non tamen carnis resurrectionem negauit, si compensationem mercedis opposuit, cum ipsi compensationem debeat, cui dissolutio deputatur, scilicet carni. Sed quia Domum dixerat Carnem, eleganter voluit, & in mercedis comparatione vocabulo Domus uti: ipsi Domui, quæ dissoluitur per passionem, in meliorem Domum repromittens per resurrectionem. Hanc autem Domum iustus quilibet in hac vita sibi ædificat, ut in alterâ eam inhabitet, quando illam bonis operibus promeretur. Eandem ædificat *DEVS* quia ipse est principalis Architectus, sicut in quolibet opere meritorio princeps ac prima causa. Non enim sufficientes sumus, vel cogitare aliquid, quod meritorium sit à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex *DEO* est: qui idoneos nos fecit cooperatores Architectonis suæ. Atque ideo fiduciam habemus per Christum ad *DEVM* 2. ad Corinth. 3. 4. 5. 6.*

ARTICULUS IV.

OBSTETRICES ÆGYPTIÆ

Aedificant sibi & Deus ædificat illis Domos.

CVM Rex Ægypti dixisset obstetricibus Hebræorum & mandasset: quando obstetricabitis Hebræas, & parturientur

partus tempus aduenerit, si masculus fuerit, interficite eum: si fœmina, referuate, illæ astu detrectarunt imperium. Quare *benefecit DEVS obstetricibus. & quia timuerunt DEVM, ædificauit eis Domos*, Exodi i. Hic merces illarum mulierum exprimitur metaphorâ ædificationis, & Domus. De quâ licet sit magna interpretum digladiatio: tamen non dubitauit asserere S. Hieronymus, & post illum, Rupertus Abbas, Domos ædificatas obstetricibus, fuisse Domos spirituales, & cœlestes, nimirum, cœlestis patriæ felicitatem, & æterna iustorum præmia. Itaque DEVS, dicitur illas ædificasse, quoniam bona opera obstetricum, quæ erant beneuolentiæ, & caritatis erga Hebræos, cum infantes eorum conseruarent, & actus timoris DEI, digna fecit æternæ mercedis retributione. Sanè D. Hieronymus in caput LXV. Isaia hunc in modum scribit: *Domus in quibus habitati sunt, qui ædificat eas, vel virtutes intelligenda sunt, vel diuersa mansiones apud Patrem, quas iugiter possidebit, qui eas ædificauerit. Quales sibi ædificasse, & Obstetrices dicuntur in Exodo: quia timebāt DEVM. Licet in Hebræo scriptum sit, à DEO eis ædificatas Domos, quia timuerunt DEVM. Ergo Hieronymi sensu, ædificauerunt, & obstetrices, & DEVS. Verum non tantum in Hebræo, Chaldæo, & Græco apud LXX. est *Ædificauit*, nepe DEVS ipsis *diuis*, Domos, sed etiam in Latino: quamuis S. Augustinus legat alicubi; *fecerunt sibi ipsis Domos*. Rupertus autem idem illud, *Ædificauit eis Domos*, exponens; *intelligendum est*, inquit, *æternas: quod enim ædificat Dominus, æternum est.**

NEQUE est, quod existimemus pietatem eam erga populum Hebræicum, & timorem erga DEVM obstetricum non meruisse vitæ æternæ retributionem: habuerunt enim verum actum timoris DEI, quo DEVM sunt reueritæ, & pro DEO se mortis periculo exposuerunt:

runt: hic autem actus & est supernaturalis, & merito-
rius vitæ æternæ; fuitque in Obstetricibus talis. Quod
adfirmatè tradit S. Thomas. 2. 2. quæst. 110. artic. vii.
ac consentiunt Scholastici: & ex diuino Codice satis e-
ruitur. Dum enim simpliciter dicitur: *quia timuerunt Deum
ædificauit eis*; intelligendum est de timore sancto quo filii
Dei reuerentur Deum. Et sanè, nisi à Deo vehementer
adiutæ per interiorem Gratiã, & incitatæ fuissent di-
uinitus, nequaquã se ipsas in tam manifestum vitæ disci-
men, ad exequendum opus illud caritatis erga Dei po-
pulum coniecissent. Scio quosdam ex S. Gregorio lib.
viii. Moral. docuisse Obstetrices per actum timoris, &
opus pietatis erga Hebræos, potuisse mereri æternam
mercedè, verùm, propter mendacium, quod postea de-
xerunt commutatam illis fuisse retributionem mercedis
æternæ in præmium temporale: sicque etiam, Deum æ-
dificasse eis Domos: id est, dedisse in retributionem
iis prolem & progeniem numerosam, diuitem, honora-
tam, insignem, & longæuam: siquidem filius est quali-
fabrica & domus parentes: & producendo alios filios
per hos parentis familiam, instar Domus, ædificat. Quod
quam causam fortasse, filius Hebraicè dicitur, בן, *ben*,
à radice בנה, *banah*, id est, *ædificauit*. Verùm, senten-
tiam illam de commutatione mercedis, si Theologus
res examinetur, probabilitate carere planè mihi per-
suadeo. Nam, actus ille timoris Dei, & benignitatis erga
Hebræos, aut proficiscebatur ex diuina Gratiã ipsa
sanctificante, seu iustificante, aut non: si non, haud po-
terant per illum mereri vitam æternam, etiam si men-
dacium postea non dixissent. Si verò oriebatur ex re-
dice Gratiæ infusæ, animas Deo gratas facientis, sine dubio
merebantur vitam æternam, quamuis postea men-
dacium protulerint. Tum quia peccatum post futurum
quamuis

quamuis præuisum, non impedit meritum præsentis gratiæ, & operum supernaturalium. Tum quia mendacium illud fuit officiosum, ideoque lenis ac venialis culpa: peccatum autem veniale, sicut non tollit gratiam, ita nec meritum vitæ æternæ.

ARTICULUS V.

MANSIONES CÆLESTES

Quomodo à iustis in hac vitâ ædificentur.

ARCHITECTONICA loquendi formula Christus D. iustorum in cælis decreta præmia vocat *Mansiones*, siue *habitacula*, Domicilia, ædificia, nam in his manent inhabitantes, quæ antequam inhabitentur construuntur, in hac vitâ ab iis ipsis; qui inhabitabunt. *In Domo*, inquit, *Patris mei mansiones multe sunt*, Joannis XIV. Cùm enim dixisset se iturum ad Patrē, & Petrum se postea eodē sequaturū, non factâ aliorum Discipulorū mentione, metuebant illi ne Domo Patris & cælo excluderētur. Hunc metum iis demit, asseritq; Domum Patris, non esse angustū aliquod palatium, sed ciuitate qualibet maxima, immò regno & orbe terrarum maiorem: in ea verò esse variorum diuersa Domicilia pro meritorum disparitate. Alium metum Apostolorū suggerit S. Augustinus: quia enim audiuerant, Petro negationē Christi prædictam: *Non cantabit gallus donec*, vt à turbatione recrearētur. subiungit illud de Domo Patris & Mansionibus in illa, vt considerent se etiam post pericula tentationum, apud Christum cum Deo mansuros. Iovinianus hæresiarcha Mansiones de quibus Christus, in terrâ cōstruendas docebat, & significare diuersas per terrarū orbem Ecclesias. Sed egregie is confutatur à D. Hieronymo, l. 2. in *Iovin. c. 5*. Clarū enim est quod Christus loquatur de mansionibus cælestibus. *Manifestissime docet Euangelium*, scribit

N 3 S. Doctor,

S. Doctor, non de Ecclesiarum numero, sed de cælorum mansi-
onibus Domino fuisse sermonem. Seuerè S. Augustinus lib. 3. de
Orig. anim. Noli credere, nec dicere, nec docere, aliquas mansiones
esse extra regnum DEI, quas esse Dominus dixit in Domo Patris
sui, si vis esse Catholicus. Difertè S. Cyrillus: *Multas Mansiones*
ait Dominus in Domo Patris esse. *capacitatem cœli ostendemus.*
Nimirum in cuius capacissima arca omnium possunt
ædes constitui. Multa quidem sunt Christi membra, in-
quit B. Irenæus lib. 3. multi habitatores: sed nemo exclu-
detur propter loci angustias. Nullus metuat: capacissi-
mum est empyreum: pro nullius habitatione locus de-
erit, modò strenuè in hac vita, pro altera, ædificet.

Quilibet enim habitationis suæ est Ædificator per
operationes meritorias, secundum quorum diuersita-
tem, mansiones sunt diuersæ & impares. Profectò, vt A-
postolorum & Christi Mansiones pares æqualesque
non sunt, ita nec Discipulorum, & multo minus infan-
tium cum adultorum optimè meritorum mansiõibus
comparatæ. Quare multas esse, propter diuersa inhabi-
tantium merita notat S. Hilarius in ps. 64. Quemadmo-
dum enim non sunt merita eadem, ita eadem non sunt
mansiones. *Plures Mansiones, inquit ille, diuersa dignitati ha-
bitantium preparantur.* Et D. Aug. lib. de Virg. c. 26. Virginũ
sanctarũ merita considerans: *Quia, ait, in vita æterna distri-
ctè fulgebũt lumina meritorũ, multa sunt Mansiones apud Patrem.*
Dei que clarissime B. Cyrilus in Ioannem sic scribit:
*Mansiõnũ multitudo differentiã gloriæ significat: omnes enim vita
suæ congruentẽ honorem suscipient.* Quot igitur sunt in cœlo
beatitudinis, & gloriæ ordines, tot concipe regiones
ædificijs pulcherrimis exornatas, quot gradus, tot man-
siones, seu Domos particulares: nã suã cuiq; Sancto erit
Ædificium, sua Domus & Mansio, sicut sua cuiq; beatitu-
do.

(a) S. Basilius lib. de Sap. S. c. 16. S. Greg. lib. 9. Mor. c. 39. S. Aug.
5. hypogn. c. 6. Theodor. l. 3. in Cant & i. Corint 15.

do sua gloria, sed secundū meritorum proportionē. dispar. Mansionē pro suo quisque accepturus est merito, inquit Aug.

Si opponas: omnibus in cœlestis Patris familias vinea strenuē laborantibus dari eiusdem precij Denarium Matthæi xx. hoc est, eandem gloriam. Itaque non esse in cœlo diuersitatem inter Ædificia. Respondebit idem Doctor. *Est quidem Denarius equalis quod ad eternitatem pertinet, sed sunt diuersæ meritorum dignitates. Fit quidem per caritatem vt quod habent singuli, cōmune sit omnibus: sicut enim quisque etiam ipse habet cum amat in altero, quod ipse non habet. Respuendus est autem illorum error, qui putant idē dictum, multas esse Mansiones quia extra regnum cœlorum erit aliquid, vbi beati maneant paruuli, ex hac vita decedentes sine baptismo. Absit enim vt regnantum quisquam sit extra regnum: quod est Domus Patris. Non minus scitè S. Gregorius lib. iv. Moral. cap. 31. In multis mansionibus erit retributorum diuersitas concors: quia tanta vis amoris in illa pacem sociat, vt quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet. Vnde & non æquē laborantes in vineâ, æquē cuncti Denarium sortiuntur. Et quidem apud Patrem Mansiones multe sunt; & tamen eundem Denarium dispares laboratores accipiunt: quia vna cunctis erit Beatitudo letitiæ, quamuis non vna sit omnium sublimitas vitæ. Breuiter. Denarius significat quidpiam, quod omnibus in altera vita communiter concedetur: nempe, vita æterna, & cœlorum regnum, in quo erunt omnes Electi: stella tamen à stella in eodem firmamento diuersitatem habet splendoris. Stella à stellâ differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum, inquit Paulus Apostolus 1. Corint. xv. 42. nimirum secundum merita. Itaque commune est omnibus regnum, vna communis ciuitas, &, si placet, vna communis area, sed in eadem plures sunt Domus, Mansiones diuersæ, aliæ alijs præstantiores: quædam amplissimæ, multæ mediocres, ali-*

quæ admodum angustæ : nonnullæ ex auro, argento, gemmis, aliæ ex vulgari metallo ac lapide, æternum tamen duraturæ; sicut habitatores alii aliis excellentiores sed æterni omnes: quod indicat etiam vox *μονὴν, ἀμείνων* quia est commoratio, in qua perpetua est sine vlla perturbatione stabilitas.

VT autem intelligeremus, nostrum quoque esse, Mansiones illas extruere, subdit Dominus: *Si quo minus dixissem vobis: quia vado vobis parare locum.* Quod ita fere exponit S. Hieronymus, Si secus se res haberet, dixissem vobis, quod vadam paratum vobis locum, Mansionem, Domum. Sed scitote iam Patris Domum esse paratam suam verò vnumquemque Mansionem meo apud Patrem interuentu, & operibus bonis suis parare debere non enim sola Dei largitate consistit cuiusque Ædificium. Quasi Christus hoc voluerit Apostolis asserere: In Domo Patris mei Mansiones multæ sunt, vestris bonis operibus non solâ Patris liberalitate præparandæ: si ita non esset, dixissem vobis, quod vado vobis eas parare, sine operibus vestris, sed non est meum sic illas parare vobisque tradere. Similem in modum exponit illud Matthæi xx. *Non est meum dare vobis, sed quibus præparatum est à Patre meo.* Paratæ, inquit, sunt in cælo diuersæ plurimæ Mansiones plurimis diuersisq; virtutibus, quas non persone accipiunt, sed opera: id est, vt ego intelligo, quæ non et acceptatione personarum: sed operum meritis tradentur incolendæ. Frustra ergo à me petitis, quod in vobis est situm quodq; Pater meus illis parauit, qui dignis virtutibus ad tantam ascensuri sunt dignitatem. Paulò aliter S. Augustinus: *Quomodo parat Dominus, si iam multæ sunt? nondum sunt, præparanda sunt.* Respondet: *Easdem, quas prædestinando præparauit, præparat operando.* Iam ergo sunt in prædestinatione: alioqui dixisset, *ibo & præparabo, id est, prædestinabo.*

sed quia nondum sunt in operatione, dicit, si abiero & prepara-
 uero. Parat modò Mansiones, preparando Mansores. Domus
 enim DEI, de qua Apostolus, Templum DEI sanctum,
 quod estis vos, adhuc edificatur, adhuc preparatur. Dica-
 tur verò abire, vt præparet, quia iustus ex fide viuit. Si autem
 videt, non est fides: id ne videatur, latet vt credatur. Tunc locus
 paratur si ex fide viuatur, creditus desideratur, vt desideratus
 habeatur. Vadit latendo, venit apparendo, sed nisi maneat re-
 gendo, vt proficiamus benè viuendo, non preparabitur locus, vbi
 possumus permanere persfruendo. Itaque parat Habitatio-
 nem caelestem DEUS, hominem eligendo & præde-
 stinando, Christus merendo, docendo, præeundo,
 homo cooperando. Omnes ædificant, DEUS ut su-
 premus Architectus, Christus vt præcipuus instructor,
 Homo vt fidelis cooperator.

ARTICULUS VI.

VISUM ADMIRANDUM.

De Ædificiis operum meritoriorum in celo.

NEGARI sanè non potest, si dictis fidem adhi-
 bemus, hominem iustum ac DEO gratum, vt Sa-
 pientem Architectum, sibi in altera vita Palatium
 mansioni suæ commodum bonis operibus ædificare,
 ita vt singula virtutum officia totidem sint quasi lapides
 aut dedolata ligna, quæ ad fabricam conducant Quod
 confirmare possumus illustri Viso, & commentatione
 Papæ Gregorii, visum non referentis solùm, sed etiam
 illustrantis. Historia narratur libro Dialogorum quar-
 to, cap. xxxvi. Ante triennium, inquit Gregorius, in
 pestilentia, qua hanc urbem clade vehementissima de populavit,

in qua etiam corporali visu sagitta cœlitus venire, & singulis quoque ferire videbantur, quidam Miles percussus ad extremum peruenit. Qui eductus è corpore exanimis iacuit: sed citius rediit & quacunque cum eo fuerant gesta narrauit. Aiebat enim, quia pons erat, sub quo niger atque caliginosus fœtoris intus abilis nebulam exhalans fluuius decurrebat. Transmisso autem ponte amœna erant prata atque virentia odoriferis herbarum floribus exornata, in quibus albatorum hominum conuentus uia esse videbantur. Ibi Mansiones erant: dinerformi singule magnitudine lucis plene. Ibi quedam miræ potentie **ÆDIFICABATUR DOMVS**, que aureis videbatur laterculis construi, sed cuius esset non potuit agnosci. Hic obijcit Petrus colloquutor Gregorij, Quid est, queso te, quod in amœnis locis cuiusdam Domus laterculis aureis edificari videatur? Ridiculum est valdè, si credimus, quod in illâ vitâ adhuc metallis talibus egeamus. Respondet Gregorius. Quis hoc, si sanum sciat, intelligit? Sed per hoc, quod illic est ostensum quisquis ille est, cuius Mansio ista construebatur apertè datur intelligi quid est, quod hic operatur. Nam qui premia eterna lucis elemosynarum largitate promerebitur, nimirum constat, quia **AVRO ÆDIFICAT Mansionem suam**. Quod enim superius memoriam fugit, vt dicerem: idem Miles, qui hec viderat, narrabat, quod eosdem laterculos aureos ad edificationem Domus, senes ac inuenes, puellæ ac pueri ferebant. Qua ex re colligitur, quia hi, quibus hic pietas facta est, ipsi illi operatores esse videantur. Addit S. Papa.

Hic etiam quidam iuxta nos, Deus dedit nomine, religiosus habitabat, qui calceamenta solebat operari: de quo alter per reuelationem vidit, quod eius Domus edificabatur, sed in eo constructores sui solo die sabbati videbantur operari: Qui eiusdem viui postmodum subtiliter vitâ requirens, inuenit, quia his, quæ diebus singulis laborabat, quidquid ex victu atque vestitu superesse potuisset, die Sabbati ad B. Petri Ecclesiam deferre consueuerat, atque indigentibus erogare. Subnectit deinde Pontifex epiphonema.

phonema: *Qua ex re perpende, quia non immerito ipsius FABRICA Sabbato crescebat.*

His non obscure insinuatur, pauperes, quibus amore DEI fit bene in terra, construere Palatia in cœlo ijs, à quibus eleemosynas accipiunt. Quod indicasse videri potuit Architecturæ cœlestis Magister Christus, cum ad eleemosynarum largitionem hortaretur Lucæ XVI. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut quum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Vbi, quod apud Ioannem dixit, *Mansiones in Domo Patris*, vocat *Tabernacula æterna*, tanquam *Ædificia*, aut *Domicilia*. Respondet enim ea sententia ijs verbis Villici iniquitatis: *Cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in Domos suas.* Itaque Gloria cœlestis vocari potest Tabernaculum æternum: quomodo & cœlum, nominat Tabernaculum Paulus Apostolus ad Hebræos IX. Hoc autem per pauperes, dum ijs beneficit, eleemosynis ædificatur: in illud verò misericordiæ operibus dediti, cum defecerint, recipiuntur: siue ut interpretantur Theophylactus & Euthymius, per pauperes, qui vsque ad finem vitæ strenuè operam impendunt, & aduenientem Palatij dominum præstolantur, tumque illi planè absolutum tradunt inhabitandum: siue, qui aliorum est sensus, à fundi Domino, propter eleemosynas pauperibus factas: ut, non tam pauperes, quam merita ædificationis materia iustos recipiant: quæ est interpretatio S. Chysofomi, (a) Basilij, (b) Gauden- tij. (c) Qui illud etiam obseruant, non dixisse Christum: *ut recipiant vos in sua Tabernacula*; sicut Villicus dixerat, *Recipiant me in Domos suas*: quoniam *Tabernacula*, quæ in cœlo à pauperibus extruuntur, non sunt illorum, qui ædificant pauperum, sed illorum, qui ad ædificandum materiam subministrant, bene operantium.

ARTI-

(a) in Psal. 48. (b) in Asceticis, (c) lib. ad German. Anast. in 99. S. Script.

ARTICULUS VII.

ÆDIFICIUM OPERUM MERITORIORUM

Ab vno exstructum in celo, transfertur aliquando ad alium.

ID quomodo contingat, docebit sanctus Patriarcha
 Joannes Eleemosynarius, cuius Elogium hoc habet
 » Fasti Mariani *Januarii* XXXII. [Cùm annum ageret
 » JOANNES, Misericordia Divina, manifesta in luce
 » Sponsam se illi obtulit. Annuit continuo. Et raru
 » conjugium Superi habuerunt, dotem que addideru
 » tam opulentam, vt semper deinde haberet, quod te
 » egenos effunderet. Archiepiscopus jam Alexand
 » nus, lustrum egit clientum suorum, hoc est, paups
 » rum, numeravit que septies mille, & quinquaginta
 » quibus omnibus deinceps in singulos dies victu
 » subministravit. Sed nec vlli alii piam manum v
 » quam subduxit. Ut meritò id certaminis cum De
 » suscepisse sit visus, plusne hic dare, an reddere illi po
 » set. Munificentiam vel ex eo vide, quod vltimè
 » ægrotanti vnicus super teruncius fuerit, vix nauula
 » morituro. Ipse in testamenti sui tabulis reperisse
 » genuè se fatetur in ærario auri pondo octies mille,
 » hæc decies millies, & amplius aucta dilapidasse
 » pauperes gloriatur. Anno igitur D. XCII. è corpor
 » ergastulo in Palatium abiit, quod piæ ipsius mun
 » centiæ structum in celo Troilus vidit, & verò inu
 » postea, cū tā bonæ prodigalitati æmulus est factus
 Id fusius describitur in *Vitis Patrum*, vnde hæc accipit
 Joannes Patriarcha pauperum parens cùm Troilus
 Episcopum itineris socium haberet, clientes filiosque
 suos egestate pressos inuisit, & quia ad manus non ha
 bebat pecuniam, monuit Troilum, cui fortè triginta
 libræ auri in promptu erant, benefaceret. Distribuit

mos, quos habebat, quamvis inuitus, verecundia instigante Troilus. Sed vix manum retraxerat, & sordidum liberalitatis pœnituit. tantumque potuit auri sacra fames, ut morbum contraxerit, vel fixerit. Non latebant Eleemosynarium sordes Troili. Inuisit decumbentem humanitatis ergo: & post solemnia consolationis officia, aurum offert, eadem summa refundendum, dicens, sibi in animo fuisse, pecuniam pauperibus distribuere; sed quia sibi marsupium exhaustum erat, commodato se accipere voluisse, nullo Coëpiscopi, fratris sui incommodo. Itaque se adnumeraturum, si placeat. Annuit Troilus, à quo aurum visum mox morbum discussit. Petiit autem Joannes apocham, qua de pecunia Troilo reddita constaret. Eam promptè conscripsit Troilus hac formula: DEUS DOMINO meo Joanni Beatissimo Patriarchæ da mercedem xxx. librarum: quoniam ego æs meum recepi. Sed quàm væcors fuerit Euclio, DEUM demonstrasse hoc viso, scribitur. Cùm à prandio, ut mos illi erat, paullulum meridiaretur, semi sopitus, vidit DOMUM, ut narrabat deinde vigil, cuius magnitudinem, pulchritudinemque; ars hominū nulla exprimeret: porta erat aurea, supra quā hæc inscriptio, capitalibus litteris: MANSIO ÆTERNA, ET REQUIES TROILI EPISCOPI. Vix se capiebat Troilus: cùm ecce quidam ex regis ministris cum satellitio ad Domum recta vadit, jubetque auferri titulum: quo detracto, edicit: Reponite, quem conscribi iussit Rex orbis terrarum, & vidente Troilo, affixerunt his conceptum verbis: MANSIO ÆTERNA AC REQUIES JOANNIS ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI EMPTA LIBRIS XXX. Experrectus Troilus, quæ viderat narravit Patriarchæ, tantumque profecit, ut damnatis sordibus, liberalissimum se deinde pauperibus exhibuerit. Nimirum, edoctus erat, operibus misericordiæ, Domos æternas in cælo construi. A R.

ARTICVLVS VIII.

S. THOMAS APOSTOLVS

*Architecti schemate, & titulo, ad Indorum salutem
curandam proficiscitur.*

NON eleemosynis tantum, sed omni operum bonorum genere Palatium cœleste exædificari, eiusque structores esse homines iustos, inde liquet, quod ceteræ quoque actiones merendi vim eximiam habeant. Quod ostendisse mihi visus est THOMAS Indiarum Apostolus, qui, & vt Architectum conduci se est passus ab Indo, qui eum in finem missus erat à Rege, & tanquam Architectum Regi stitit, atque se amplissimum pulcherrimumque Palatium extructurum esse pollicitus. Historia narratur à Babylonæ Episcopo Abdia in libris de certamine Apostolico, & ex eo à Iochimo Peronio in vita S. Thomæ Apostoli.

GÛNDAPHORVS in Indiâ Rex cum palatium ædificare miro eoq; Romano opere constituisset, Abanem, qui ad opus illud Architectum præstantissimum conquireret, Romam misit. Is cum Cæsaream venisset, & quod verisimile est, Architectum referens, cum copioso famulatio à CHRISTO humanâ specie comparente, interrogatus dicitur, quâ de causâ tantum terrarum & pelagi emensus esset? cum autem respondisset, missum se ad peritissimum aliquem Architectum conducendum, dixisse Dominum: est mihi seruus in eâ arte versatus egregiè: Credidit Abanes, & ad Thomam, illum in Euangêlio Ioan. xi. 16. cognominatum Didymum, adductus, cum eo egit multis, tandemque pactus est, & profectio ex consensu vtriusque indicta. Conscendunt


mox

mox nauem; in qua, dum de varijs inter se conferunt, quærit Indus, in quâ Artis Architectonicæ parte potissimum excellat; an in omni? quod tãtam à Domino suo commendationem habeat? Tum Thomas professus est, iacere se fundamenta, quæ nunquam vetustas consumat: parietes erigere, qui nunquam collabuntur: facere exedras, & speculas eiusmodi, quibus nunquam lumen desit: fabricam totius molis ita erigere, vt spectantibus quibuscumque sit admirationi. Porro, Ædificia quædam, licet exterius non magnam eximiamque pulchritudinem ostentent, intrinsecus tamen mira elegantia præstare. Denique addidit, quicquid è lapide, ligno, argento, auro, gemmis & vnionibus extrui possit, aut ornari, id in suâ esse manu: & facilem se fore magistrum, Architectonicam hanc discere volentibus.

THOMÆ fidem adhibuit Abanes, & quam primum ad Regem suum redire venit, nauis Architecti dotes eximias deprædicauit. Gauisus Rex, ingentem pecuniæ vim, ad futurum Ædificium Thomæ numerari iussit, cui ædificationem etiam atque etiam commendauit; & vt properaret seridò iniunxit. Adpromisit operam Thomas. Rege mox profecto, & peregrè agente, Apostolus nullum fecit finem disseminandæ religionis Christianæ, largiendæque egentibus regiæ pecuniæ. Reuersus Rex, cum quid actum intellexisset, Thomam in vincula rapi mandauit, furens, ac minitans. Interim Gandius Regis frater moritur: alij ad extrema tantum venisse narrant. Sibi redditus post quadriduum Regi exponit: ostensum sibi à bonis Genijs in cælo Palatium, quod ei Thomas Architectus Europæus miro magnificoque opere extruxerit: illius autem cum elegantiam spectaret, ductoribus se suis dixisse, quod vnum istud in opratis haberet,

vt dignus esset, qui vel atriensis, aut sub illo, ostiarius illius regiae designaretur. Id quidem sibi denegatum: additum tamen: si illud inhabitare vellet, quoniam frater eius in habitatione se indignum reddiderit, potestatem ipsi fieri, à germano illud emendi, numeratâ, quam is exposuerat, pecunia. Sed noluit Rex damno so commercio se tam comoda habitatione priuare: & significavit fratri, vt si palatii visî desiderio teneretur, agerret cum Thoma, de alterius æquè pulchri extructione. Fecit Gaudius quod proponebatur. Tum Apostolus hac vsus oratione dicitur. Hoc vobis persuadeatis, velim: innumera jam in cælo esse exædicata Palatia, eaquæ à primâ mundi origine ad inhabitandum parata. quæ fidei, & quæ ex fide emanant, operum bonorum precio emantur. Itaque si Palatiorum cælestium cupiditate flagritis, agite constanter, & fide ac religione Christiana susceptâ, diuitias vestras, quæ migrantes ex hac vita sequi non possunt, præmittite, & egentibus, peregrinis ac viduis liberaliter distribuite. Si feceritis, addico certò, nulli in cælo Rege dignum Palatium futurum.

ATQVE hoc est tertium Ædificium, quod vocatur Operum meritoriorum, cui extruendo operam suam impendere debere Architectum nostrum Tropologium cum initio monuimus. De eo autem, vt de aliis Ædificiis superius nominatis intelligi potest illud toties decantatum: *Sapientia edificauit sibi Domum.*



SERMO